GEORGIO FRIDERICO SCHOEMANNO

PHILOLOGORUM PRINCIPI

DIEM XX. M. IUNII A. MDCCCLXXIII

QUO ABHINC ANNOS SEXAGINTA

MAGISTRI PUBLICI MUNUS AUSPICATUS EST

GRATULATUR

PHILOSOPHORUM IN UNIVERSITATE LITTERARIA
GRYPHISWALDENSI ORDO

INEST COMMENTATIO

RUDOLFI SCHOELLII

QUAESTIONES FISCALES IURIS ATTICI
EX LYSIAE ORATIONIBUS ILLUSTRATAE

BEROLINI

APUD WEIDMANNOS

MDCCCLXXIII

Quae ante hos decem annos pia vota concepimus, cum Tibi, vir summe, magisterii publici quinquagesimum annum fauste feliciterque peractum congratularemur: ea non ad irritum cecidisse ut animo grato laetaque mente profiteamur, praesentis nos horae sollemnitas admonet. Iam enim sexagesima redit lux anniversaria illius diei quo adulescens munerum honorumque cursum auspicatus es prosperrimum, quem strenue secutus senex ad summa usque pervenisti. Atque in perpaucis Tibi contigit, ut post tot temporum vices in serena senectutis tranquillitate et iuvenilem vigorem et animum virilem invictum servares: qui ne nunc quidem sementis feracissimae laeta tutaque messe per otium frui satis habeas, verum in hoc campo studiorum humanitatis colendo recolendoque nova spargere semina novosque fructus colligere impigro animo moliaris. Cumque alii aetate procedente ex stadio patenti in angustiorem gyrum sese recipere soleant, Tu contra continuo cursu per latiores deinceps circulos totum studiorum orbem emensus es, quorum nunc in ipsis penetralibus sedem collocasti. Nimirum quae est antiquorum sententia 'senescentibus membris eruditorum intus animos industriae beneficio florem iuventae retinere', id quam sit verum, Tua illa aquilae senectus nobilissimo exemplo comprobat. Iure igitur meritoque Te unum summum et decus et praesidium cum haec alma mater Gryphiswaldensis suspicit, cui per omne tempus fidem constantem praestitisti, tum vero ordo noster praedicat, cui numquam deesse voluisti praesentem Tuam auctoritatem. Etenim nostrum Te esse

non verbis modo, sed re declarasti: itaque quam Tibi peperisti coronam honoris virtutisque ergo, ea nosmet ipsi quoque collegae Tui quodam modo ornari et augeri videmur. Hoc quidem nominis Tui splendore ut diu etiam in posterum academia nostra collustretur, pia qua decet mente exoptamus, iamque redeunte hoc die sollemni vota olim pro salute Tua nuncupata laeti lubentes instauramus. Simul vero in memoriam huius sollemnitatis documentum aliquod scriptum ordo philosophorum Tibi offerendum constituit quo oblato, quanto Te studio quantaque pietate coleret, publice testificaretur. Quod munus cum mihi ut suo nomine exequerer ordo mandasset, facere non potui, quin argumentum scriptionis ex ea antiquarum litterarum disciplina peterem, quam Tuam Tibi provinciam praeter ceteras vindicasti. Nam a studiis antiquitatum iuris Graecarum iuvenis exorsus eodem identidem revertisti, ceteris viam aperuisti facemque praetulisti; postremo, quod paucorum mortalium est, huius disciplinae idem et fundamenta iecisti et ipsum opus consummatum extruxisti: ut qui nunc Tua vestigia secuti ad eadem sese accingunt, eis pauca et fere minuta corollarii instar addenda reliqueris. Neque tamen is es qui, cum materiam universam singulari scientia exhaustam complectaris, vel levissima quaeque despicatui habeas. Inde animum induxi, ut quae de quaestionibus fiscalibus quibusdam a populo Atheniensium post optimatium dominationem eversam institutis exploravisse e Lysiae maxime orationibus mihi videbar, hac scribendi opportunitate usus Tuo iudicio, vir summe colende, subicerem: non quo haec vel Te vel hoc festo die digna existimem, sed quia qualiacumque ea sunt nisi Tibi probavero, nihil omnino profecisse me pro certo habeo.

§ 1.

In fragmento pretiosissimo orationis de bonis Eucratis Niciae fratris a Lysia conscriptae filius Eucratis patrimonium iterum in discrimen vocatum ne proscribatur agit verbis hisce (§ 13 sq.):

εὖ δ' οἶδ', ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι περὶ πλείστου ἂν ποιήσαιτο Πολίοχος (Πολίαχος cod.) τοῦτον τὸν ἀγῶνα κατορθῶσαι, ἡγούμενος αὑτῷ καλὴν εἶναι τὴν ἐπίδειξιν (ἀπόδειξιν cod.) καὶ πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τοὺς ξένους, ὅτι Ἀθήνησι τοσοῦτον δύναται, ὥσθ' ὑμᾶς τοὺς αὐτούς, περὶ ὧν ὅρκους ὀμωμόκατε, ὑμῖν αὐτοῖς τὰ ἐναντία ποιεῖν ψηφίζεσθαι. πάντες γὰρ εἴσονται, ὅτι τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημίωσε τὸν βουλόμενον τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν ποιῆσαι, νυνὶ δὲ κελεύων δημεῦσαι νενίκηκε, καὶ περὶ τούτων δὴ ἀμφοτέρων Ἀθηναῖοι παρανόμων φεύγοντος (φεύγοντες cod.) τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο.

Locum integrum adscripsi, e quo iam solo argumentum actionis petere liceat. Is autem locus cum non tam explicat causam quam significat, tum ipse potius explicationem atque adeo emendationem requirit. Nec mirum virorum doctorum commenta sat diversa hucusque parum profecisse ad iudicium ea de re certius stabiliendum.

Atque si qui opinantur actorem versari in causa legum violatarum (παρανόμων) contra decretum Poliochi intenta quo publicari bona Eucratis iussa sint[1]: facile ista opinio refutatur. Namque quin ea oratione reus causam dicat, non accusator agat, vel obiter legens nemo dubitabit — conferas praeter cetera §§ 21—27 —: nec de accusatione παρανόμων quidquam, verum tota est in invidia quam bonorum Eucratis proscriptio habitura sit vividis coloribus depingenda[2]. Omnino legum violatarum locus nullus erat in bonorum publicandorum iudiciis: quae non in comitiis neque per plebiscita agebantur, sed per ἀπογραφήν quae dicitur ad legitimum tribunal syndicorum, quod huic ipsi rei illo quidem tempore destinatum erat, deferebantur. Ac reapse in iudicio de bonis Eucratis syndicos non modo praesentes, sed ipsos praesides intellegi — cum actio legum violatarum ad thesmothetarum iurisdictionem pertineat — peroratio docet (§ 26) ἀξιῶ[3]) δὲ καὶ τούτους τοὺς συνδίκους εὔνους ἡμῖν εἶναι, ἐκείνου τοῦ χρόνου μνησθέντας κτλ. Nihil enim moror Meieri dubitationem, anne syndici hoc loco denotentur patroni quidam publice creati ad Poliochi adversarii plebiscitum defendendum: quales neque creare mos erat rogatione nondum accepta neque ut sibi opem praestarent sanae mentis adversarius petere poterat. Contra syndicos illos fiscales quoniam causam et in iure examinaverunt et ad iudices detulerunt[4]), non immerito

---

1) Meier *Att. Prozess* p. 111 n. 27. p. 253. 283. Platner *der Prozess u. die Klagen* II p. 123. Dobree Advers. I p. 235. Hœlscher de vita et scriptis Lysiae p. 90. Dubitat hodieque Blass *d. Attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias* p. 524.

2) cf. Hamaker quaestt. de nonn. Lysiae oratt. p. 67 sq. Scheibe vindiciae Lysiacae p. 90.

3) ita enim scribendum ex codicis Palatini fide quem denuo contuli: ἄξιον vulgo. cf. § 27. 21, 25 al.

4) Lys. 19, 32 quem locum recte interpretatus est Frei *zu Lysias* p. 22 sq.

reus precibus adit, ne magis aerario quam ipsius iuri faveant. Eodem plane consilio in causa aerario et ipsa intenta de Eratonis bonis publicatis (or. XVII) actor perorat ἤδη δέ μοι δοκεῖ δίκαιον εἶναι καὶ δεηθῆναι ὑμῶν τε καὶ τῶν συνδίκων ἐναντίον ὑμῶν.... — Denique aptissima est isti actionum generi mille drachmarum mentio: quae multa licet minime abhorreat a iudicio legum violatarum, at propria fuit et legitima, si quis frustra bona alicuius in indicem redegisset[1].

Verum totum illud commentum de causa παρανόμων non nititur nisi verbis eis quae corruptela laborare ipsi defensores fatentur: παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός. Ubi quod Meierus supplendum proposuit παρανόμων διώκοντος καὶ φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός, eo non tollitur, sed augetur difficultas inde conspicua, quod inepte eadem causa bonorum publicandorum Eucrati bis delata bis actione παρανόμων repelli fingeretur, ineptius etiam de eodem argumento idem Poliochus et eiusdem plebisciti tunc accusator nunc auctor et eiusdem hominis tunc patronus nunc accusator extitisse. Non minus inconsiderate Franckenus Comment. Lysiac. p. 125, cum corrigit παρανόμων φυγόντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός, νῦν δὲ νικήσαντος — ne quid moneam de structura contorta et insulsa[2]) — Poliochum informat bis de eadem causa accusatorem eumque priore iudicio victum altero victurum. Neque tamen hinc statim eo confugiam, ut verba quae offensioni sunt ut a sciolo importune adiecta eicienda cum Hamakero et Scheibio arbitrer: verum lenissima correctione et quam vix correctionem dicas haec

1) Demosth. 53, 1. Δικῶν ὀνόμ. (Bekk. Anecd. p. 188) v. ἐν χιλίαις ὁ κίνδυνος .... χιλίας δραχμὰς ἐτέλουν, καὶ οἱ μάτην ἀπογραφόμενοί τινος οὐσίαν. cf. Meier de bonis damnatorum p. 209 n. 167. *Att. Pr.* p. 259 sq.

2) vid. Blass l. c. p. 524 n. 2. Kayseri inventa (*Heidelb. Jahrb.* 1866 p. 290. philol. Gotting. 25 p. 316) sciens praetermisi.

ita puto scribenda et distinguenda: καὶ περὶ τούτων δὴ ἀμφοτέρων Ἀθηναῖοι π α ρ α ν ό μ ω ς [1], φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός, τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο. Ut hoc dicat orator: de Eucratis bonis ἀπογραφήν ab alio (is est ὁ βουλόμενος — δημοσίαν ποιῆσαι) prius delatam esse, accusatorem autem cum causa cecidisset mille drachmis multatum: iam p r a e t e r i u s factum fore, si in altera actione de eisdem bonis a Poliocho mota iudices contraria sibi ipsis decernerent condemnando quem tum absolvissent. In verbis vero φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός, quibus circumscribitur et explicatur istud παρανόμως, non est cur haereas in singulari numero, cum praesertim accusati loco proprie unus sit Eucrates, quem mortuum filii a perduellionis crimine defendunt.

Iam verbo ἐζημίωσε cogitare iubemur ipsum accusatorem Poliochum in priore actione auxilio suo effecisse ut reus absolveretur. Quod cum per se mirum est, tum vocabulum ζημιοῦν ex usu forensi adhiberi fere solet de eo qui iudicio vicit, sive is accusatus est sive accusator [2]; de advocato partis quae vicit non solet. Quapropter viri docti, ut Poliochi personam a priori illo iudicio removerent, ἐζημίωσα Hamakerus, ἐζημιώσατε ex Marklandi coniectura Scheibius mutaverunt, inserto simul ante κελεύων aut nomine Πολίοχος aut certe articulo ὁ, qua notione careri propter personam mutatam nequeat.

---

1) παρὰ νόμον Taylor proposuerat; παρανόμως, de quo iam Scheibius cogitavit, J. H. Lipsius quoque commendat in quaestionum Lysiacarum specimine (Lips. 1864) p. 15. Similiter habes 12, 82 ὑμεῖς δὲ τοὺς ἀπολέσαντας τὴν πόλιν κατὰ τὸν νόμον ἀξιοῦτε κρίνειν, παρ' ὧν οὐδ' ἂν π α ρ α ν ό μ ω ς βουλόμενοι δίκην λαμβάνειν ἀξίαν — λάβοιτε (cf. ib. 48. 26, 5. 9, 17. 18). Plato apol. p. 32^b ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς ἐβούλεσθε ἀθρόους κρίνειν, π α ρ α ν ό μ ω ς, ὡς ἐν τῷ ὑστέρῳ χρόνῳ πᾶσιν ὑμῖν ἔδοξε.

2) cf. Frohberger ad Lys. 10, 22.

Atqui ista ratio neque a facilitate correctionis satis commendatur, et prius quo haec illustrantur enuntiatum ἡγούμενος αὐτῷ καλὴν εἶναι τὴν ἐπίδειξιν (ita pro ἀπόδειξιν recte Dobraeus et Emperius) καὶ πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τοὺς ξένους, ὅτι Ἀθήνησι τοσοῦτον δύναται, ὥσθ' ὑμᾶς — ὑμῖν αὐτοῖς τὰ ἐναντία ποιεῖν ψηφίζεσθαι· πάντες γὰρ εἴσονται κτλ. ita demum suam vim habere videtur, si revera idem Poliochus et absolutorii prioris iudicii et huius damnatorii auctor perhibetur. Quamquam hoc quomodo fieri potuerit, haudquaquam in promptu est explicatio. Nec vero diffiteor idoneam rationem reperiri, qua et verbis illis sicuti leguntur et rei probabilitati satis fiat. Quae quo facilius pateat, non abs re fuerit paulo altius repetere quaestionem et, quo maxime modo causae fiscales bonorum publicandorum tum temporis agi sint solitae, paucis exponere.

§ 2.

Postquam eversum est trigintavirorum imperium, in summa perturbatione rerum publicarum privatarumque, qualis ex brevi optimatium dominatione evenit, proscriptis aliorum civium bonis, aliorum cum aerarii detrimento auctis, plurimas inde rem publicam inter et cives singulos quaestiones exoriri necesse erat. Adde quod populus ultro proscriptionum cupidus et ad aerarium quovis modo ut implendum ita exhauriendum facilis neglecta saepe quam sanxerat oblivione rerum praeteritarum animum infestum adversus eos cives non deposuit, quicunque optimatium rebus studuisse sive iure sive immerito insimularentur. Tantae autem quaestionum moli cum magistratus annui, quorum

iuris dictio talia quoque comprehendebat[1]), parum sufficerent, e republica visum est extraordinarium ad id ipsum tribunal constituere cui ista provincia causarum aerarii tribueretur. Instituti sunt syndici illi quorum supra mentionem fecimus, quasi quidam advocati fisci — quod ipsum nomen indicat — ‘ qui rei publicae causas defenderent’ [2]) ac publice ius dicerent. De quibus Harpocratio (indeque Photius et Etymol. M.): Σύνδικοι· Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους φησίν· οἱ μετὰ τὰ ἐκ Πειραιῶς, ὡς ἐγὼ ἀκούω, σύνδικοι ἦσαν, πρὸς οὓς τὰ δημευόμενα ἀπεφέρετο· καὶ Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Δεξίππου, εἰ γνήσιος· καὶ ποῦ ἑτέρωθι ἀνδρεῖός ἐστιν οὗτος; πρὸς τοῖς θεσμοθέταις γραφὰς γραφόμενος, πρὸς τοῖς συνδίκοις ἀπογραφὰς ἀπογράφων. μήποτ' οὖν ἀρχή τις ἦν καθεσταμένη μετὰ τὴν ἐκ Πειραιῶς κάθοδον (οἱ σύνδικοι add. epitome et Photius). Designat igitur magistratum extra ordinem in certum tempus quotannis electum, de quo iam Isaeus fando tantum audiverat: unde suo iure Sauppius Or. Att. II p. 183 orationem in Dexippum, quam Lycurgo tribuunt Harpocrationis libri et Etymologici Magni Florentinus[3]), Lysiae vindicavit. Nam omnino uni Lysiae debetur quidquid de syndicis exploratum est. Atque illi collegio hoc muneris iniunctum erat, ut de bonis civium publicandis cognoscerent et actiones darent in eos qui quid ex bonis publicatis publicandisve avertissent sive detinerent. Ad syndicos igitur accedere quicunque proscribi civem aliquem vellent bonaque publicanda in indicem referre iussi

1) Undecimviri, si quidem fides habenda Etym. M. p. 338 v. ἕνδεκα . . . εἰσῆγον δὲ καὶ τὰ ἀπογραφόμενα χωρία, οἰκίας, καὶ τὰ δημόσια εἶναι δόξαντα παρέδωκαν τοῖς πωληταῖς (cf. Meier de bonis damnatorum p. 209. *Att. Pr*. p. 77. 259): quamquam res incerta est.

2) verba sunt Cod. Just. X 11, 4.

3) Miller *mélanges de littérature grecque* p. 274.

sunt: nam quod ἀπογραφὰς ἀπογράφειν Dexippum ut vafrum delatorem Lysias dicit[1]), eodem valet Isaei sententia etsi paullo insolentius contracta πρὸς οὓς τὰ δημευόμενα ἀπεφέρετο (i. e. per indices deferebantur). Item quidquid sub trigintavirorum dominatione ex aerario praeter ius ablatum esse populus censuit, syndici habebant quaestionem. Quo in numero aes equestre (κατάστασις) fuit eorum, qui illo tempore equitum stipendia fecerant: nam equitum studiis optimates praecipue sustentati esse videbantur. Inde Mantitheus in senatoris probatione crimen, quod illo tempore eques militarit, convellit nomen suum ad syndicos delatum negans (16, 7). Denique res ipsa ferebat, ut si quis quid ex bonis alterius publicatis publicandisve tamquam suum sibive debitum repeteret, ei apud syndicos certamine contra aerarium (διαδικασίᾳ) agendum esset. In eiusmodi argumento versatur oratio XVII de bonis Eratonis publicatis habita, cui perperam δημοσίων ἀδικημάτων inscriptum est.

Satis et re et testimoniorum consensu probatur syndicorum potestatem iuris dictione, quae ἡγεμονία δικαστηρίου est Atticis, definiri. Sed penes quos erat causas in iure cognoscere, cognitas iudicii suffragiis committere: eidem neque accusatores ipsi prodire neque alios qui accusarent delegare poterant. Diversa enim atque adeo contraria officia ita contra ius ac rationem coniungerentur: neque quidquam in Atheniensium institutis forensibus religiosius cautum esse videmus quam ne eidem magistratui in eadem causa et iurisdictio et accusatio competeret.

---

1) cf. Lys. 13, 65 περὶ δὲ συκοφαντίας, ὅσας οὗτος ἢ δίκας ἰδίας συκοφαντῶν ἐδικάζετο ἢ γραφὰς ὅσας ἐγράφετο ἢ ἀπογραφὰς ἀπέγραφεν, οὐδέν με δεῖ καθ' ἕκαστον λέγειν.

Atqui hanc partem patrocinii aerario parandi haud sane leviorem, accusationem dico, tum solis hominum privatorum sive studiis sive cupiditatibus relictam fuisse parum credibile est. Immo populum Atheniensium, cum extraordinarium tribunal crearet ad proscriptiones examinandas, consentaneum est simul eodem consilio inquisitores instituisse publica auctoritate praeditos, qui officii causa bona civium fisco vindicanda notarent et in indicem redigerent.

Et vero hoc ipsum officium alteri collegio mandatum fuisse, qui συλλογῆς appellantur, e lexico rhetorico cognovimus (p. 304 Bekk.) Συλλογεῖς ἄρχοντες ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονητοί, οἵτινες ἀπεγράφοντο τὰς οὐσίας τῶν ὀλιγαρχικῶν. Hos etiam diu post quadringentorum et triginta virorum tempora munere fungi solitos constaret, si Boeckhio credere liceret eosdem fuisse atque qui in titulis Demosthenicae aetatis comparent συλλογεῖς τοῦ δήμου, epulones dapibus sacrificalibus curandis[1]: quibus populi convocatoribus praeterea alterum officium optimates persequendi illo tempore iniunctum fuisse statuit. Verum hoc neque ab usu epulas saepe ex pecuniis publicatis celebrandi neque a comparatione quinque ephororum idoneam commendationem habet. Ne ex Isaei quidem mentione apud Harpocrationem servata συλλογῆς ὄνομα ἀρχῆς· Ἰσαῖος ἐν τῷ μετοικικῷ[2]) σαφέστατα δηλοῖ, etsi ad illos optimatium delatores publicos haud dubie

1) Eorum titulus dedicatorius extat C. I. G. I n. 99 anni Ol. 114, 1|324 (cf. Boeckh. p. 137, Kirchhoff act. Acad. Berol. 1863 p. 4); eidem in Lycurgeae administrationis rationibus lapidi incisis anno Ol. 111, 3|334 ex epulis Olympieorum δερματικόν solvisse referuntur n. 157. cf. Boeckh *Staatshaushalt d. Ath.* II p. 127 sq. Diversos magistratus agnoscunt Schoemann de comitiis p. 317. Meier de bonis damnatorum p. 206 n. 156. cf. Sauppe Or. Att. II p. 239 n.

2) corr. Sauppe: μετοικισμῷ cod. Angelicanus, μετοίκῳ libri deteriores; in epitome, item apud Photium et Suidam testimonium omissum.

revocanda id consequitur etiam Isaei aetate tale munus extitisse. Nimirum iste λόγος μετοικικός, si quid video, diversus non est ab illa oratione Isaei adversus Elpagoram et Demophanem, unde syndici quoque Harpocrationi memorantur: quae quidem oratio tota fuit in rebus inquilinorum tractandis. Id testantur fragmenta apud Harpocrationem vv. μετοίκιον, ἰσοτελής, σύμβολα servata. Probabiliter igitur sicut syndicos ita συλλογεῖς quoque in comparationem causae consimilis[1]) ita vocaverat orator, ut de magistratu post motus civiles creato fama tantum sese audivisse significaret. Atque coniuncta utriusque collegii apud Isaeum commemoratio fidem facit una cum syndicis etiam coactores quosdam seu cognitores fiscales — ut liceat ita vertere nomen — extra ordinem constitutos esse, qui possessiones optimatium proscribendas ultro perquirerent; si quem civem reum iudicarent, bonis in indicem relatis nomen ad syndicos deferrent; denique illis praesidibus in iudicio accusatorum partes agerent. Similem igitur dico inter duo collegia rationem intercessisse atque quae in iudiciis rationum magistratus gesti reddendarum (ἐν εὐθύναις) erat inter logistas et euthynos: quae officia eum in modum discripta erant, ut iurisdictio penes unum logistarum collegium esset, penes euthynorum inquisitio et accusatio.

Quod vero Scheibius creandi modo utrumque magistratum discerni ita voluit, ut Meiero auctore syndicos sorte ductos esse sumeret[2]): id quidem omni probabilitate destituitur. Ex contrario potius, cum συλλογῆς suffragiis creari soliti sint, idem

1) Nam de agro publicato ab inquilino empto causam agi sat veri similis pro re nata est Sauppii coniectura Or. Att. II p. 233.

2) *Die oligarchische Umwälzung* p. 143. cf. Meier *Att. Prozess* p. 111. Rectius olim Schoemann de comitiis p. 316.

ad alterum quoque collegium iure rettuleris. Omnino officia extraordinaria pleraque omnia, atque prae ceteris ea quibus aerarii redituumque publicorum aliqua curatio mandabatur, χειροτονητά fuisse comperimus[1]. Nec sine causa id quidem: cum hoc populus ageret, ne difficiliora et quae singularis prudentiae aut sollertiae esse viderentur, in sortitionis discrimina daret. Immo ea quoque munia quibus sui magistratus legitimi erant, subinde populi scito viris extra ordinem electis committebantur eo consilio, ut sorti substitueretur populi arbitrium[2].

Ceterum quo numero fuerint et σύνδικοι et συλλογῆς incertum: quamquam denos fuisse quotannis electos in tanta denarii numeri apud Athenienses celebritate suspiceris. Nec magis de tempore constat, quam diu hoc institutum manserit. Apud Lysiam quidem syndicorum diserta memoria intra decem fere annos continetur. Nam de bonis Aristophanis (or. XIX) actum est anno Ol. 98, 1 s. 2|388 s. 387, oratio septima decima anno Ol. 95, 3|398 habita. Quodsi statim aut certe brevi temporis intervallo post reditum ex Piraeo ea collegia populus instituit, per viginti plus minusve annos officio functa esse, quamdiu maxima vis causarum instaret, haud improbabile videri possit. Verum id ipsum, num statim post eversam optimatium dominationem instituta sint, dubitationi utique obnoxium est.

---

1) Huc pertinent, ut pauca delibem, τάκται octo ad sociorum tributa aestimanda creati (Koehler *z. Gesch. d. delisch-attischen Bundes* p. 64. 149 sq. Kirchhoff Corp. Inscr. Att. I p. 21); ἐκλογεῖς missi ad eadem tributa exigenda, ἐπιγραφεῖς s. διαγραφεῖς qui civium tributa ex censu conferenda curabant, ζητηταί decem ad pecunias sacras publicasque residuas cogendas Aristophontis decreto constituti (Boeckh *Staatsh.* I p. 211 sq.), alii.

2) Demosth. in Androt. 48 = in Timocr. 160 οὗτος Εὐκτήμονα φήσας τὰς ὑμετέρας ἔχειν εἰσφορὰς — καταλύσας ψηφίσματι κληρωτὴν ἀρχὴν ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ ἐπὶ τὴν εἴσπραξιν παρέδυ κτλ.

§ 3.

Antiquissima ex orationibus iudicialibus Lysiae, si illam exceperis ab ipso de fratris caede contra Eratosthenem habitam qua prima omnium forum attigit[1]), ad nos pervenit ea quae in corpore orationum vicesima prima est, scripta anno Ol. 94, 3 | 402. Cuius quidem, haud aliter atque duodevicesimae unde disputatio nostra profecta est, pars extrema sola superest: ut de argumento ipsius quoque etiamnum disceptetur. Atque grammaticus aetatis recentioris qui orationibus Lysiacis titulos quales in codice feruntur saepe prava coniectura effictos addidit, cum eam orationem iam mutilatam legeret, inscripto ἀπολογία δωροδοκίας ἀπαράσημος nihil aliud nisi leviter interpretatus est ipsa oratoris verba (§ 21 sq.) ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ μὴ καταγνῶναι δωροδοκίαν ἐμοῦ, μηδ' ἡγήσασθαι τοσαῦτα χρήματα εἶναι, δι' ἃ ἐγὼ βουληθείην ἄν τι κακὸν τῇ πόλει γενέσθαι· μαινοίμην γὰρ ἄν, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ τὴν μὲν πατρῴαν οὐσίαν φιλοτιμούμενος εἰς ὑμας ἀναλίσκοιμι (ἀναλίσκω Hertlein), ἐπὶ δὲ τῷ τῆς πόλεως κακῷ παρὰ τῶν ἄλλων δωροδοκοίην. Quae sane miror plerosque tanti fecisse, ut prae eis fere neglegerent indicium longe gravius et tale quod rem causamque ipsam contineat[2]). Actor enim ubi enumeravit, quot quantaque munera largitionesque rei publicae sponte praestitisset, non sine iactatione haec praedicat (§ 16): ἡγοῦμαι δ', ὦ ἄνδρες δικασταί, — καὶ μηδεὶς ὑμῶν ἀχθεσθῇ — πολὺ ἂν δικαιότερον ὑμᾶς ὑπὸ τῶν ζητητῶν ἀπογραφῆναι τὰ ἐμὰ ἔχειν ἢ ἐμὲ νυνὶ κινδυνεύειν ὡς τοῦ δημοσίου χρήματα ἔχοντα. Iam τοῦ δημοσίου χρήματα ἔχειν formulae instar est de eo, cuius per

1) 12, 3. cf. Fraenkel de oratione pro Polystrato habita (Berol. 1869) p. 35 sq.

2) rectius Meier *Att. Pr.* p. 253 iudicat, etsi et ipse dubitans,

ἀπογραφήν bona proscribenda postulantur[1]. Et reapse tota actoris expositio hoc spectat, ut proscriptionis periculum avertat. Pluribus enim demonstrat iam usque adeo patrimonium se non tam sibi filiisque quam populo possedisse; itaque rei publicae ex bonis ipsi servatis plus commodi quam ex publicatis redundaturum; publicata non aerario sed hominibus improbis lucro fore, atque id genus alia (cf. 11—14. 16 sq. 23): denique eodem valent quibus perorat ἡμῖν μὲν δεινὸν ὑμῖν δὲ αἰχρὸν εἶναι, εἰ ἀναγκασθησόμεθα ἐπὶ τοιαύταις αἰτίαις ἄτιμοι γενέσθαι καὶ στερηθέντες τῶν ὑπαρχόντων πένητες εἶναι καὶ πολλῶν ἐνδεεῖς ὄντες περιϊέναι, ἀνάξια μὲν ἡμῶν αὐτῶν πεπονθότες, ἀνάξια δὲ τῶν εἰς ὑμᾶς ὑπηργμένων.

Aliena igitur ab hac causa γραφὴ δωροδοκίας: nec magis audiendus qui nuper posuit praeter crimen pecuniae acceptae etiam de peculatu publico quaestionem esse, coniungi autem utrumque crimen vel per εἰσαγγελίαν vel ἐν εὐθύναις[2]. Immo contra rectius contendas: cum bona actoris, qui scilicet optimatibus studuisse insimuletur, in proscriptionis discrimen veniant, in causis delationis etiam illud acceptae pecuniae crimen esse censendum. Etenim quid tritius, quid vilius in iudiciis fori Attici quam δωροδοκεῖν et κλέπτειν verba conviciosa in homines coniecta auctoritate publica conspicuos, praesertim qui officiis publicis functi sint? ut tamen eiusmodi mentione latissime patenti mire abusurus sit si quis inde statim certam actionem furti (κλοπῆς) aut munerum improbe acceptorum (δώρων) animo praeceperit. Itaque, ut unum commemorem, Ergocles praetor, Thrasybuli socius, tumultuario iudicio apud

1) Harpocratio (inde Lex. Seg. p. 426 B., Suidas, Zonaras) ἀπογραφή· ὅταν τις λέγῃ τινὰ ἔχειν τι τῶν τῆς πόλεως κτλ. Lex. rhet. p. 198 B. ἀπογραφὴ γίνεται τῆς οὐσίας, ὅταν τις δημόσιόν τι εἶναι παρά τινι φάσκῃ κ. τ. λ. cf. οἱ τὰ τῆς πόλεως ἔχοντες Lys. 29, 8. 10. Dem. 24, 101. Aesch. 3, 21 sq.

2) Blass *Att. Bereds*. p. 495.

populum perduellionis reus factus identidem κλέπτων καὶ δωροδοκῶν audit (28, 3. 11. 29, 5. 11. 13) 'ὅτι κακῶς διαθεὶς τὰ τῆς πόλεως πλέον ἢ τριάκοντα ταλάντων οὐσίαν ἐκτήσατο' (29, 2): Ergocle damnato Philocrates affinis eius per ἀπογραφήν delatus quod partem bonorum illius avertisset, eisdem contumeliis et ipse tamquam socius culpae petitur (29, 3. 4. 11)[1]. Talia omnino ad supellectilem accusatoris bene instructam quasi necessario requiruntur perinde atque illa in Lysiae orationibus ad taedium usque decantata: reum optimatibus non restitisse, populari imperio auxilium non praestitisse, mutato rerum statu abusum esse ad suas res augendas, ex paupere repente divitem factum esse, et quae sunt alia eiusmodi[2]. Iam qui in oratione de qua agimus causam dicit homo vix sex et viginti annorum (cf. § 1) pluribus sese muneribus functum ipse praedicat (§ 18); idem divitias potissimum suas invidiam sibi facere haud obscure significat[3]: proclive igitur dictu est accusatores bona eius ideo publica fieri iussisse, quia optimatium ope aucta esse cum detrimento rei publicae dictitarent. Quam sententiam e verbis ἐπὶ τῷ τῆς πόλεως κακῷ παρὰ τῶν ἄλλων δωροδοκεῖν nullo negotio elicias. Quamquam alia quoque cogitari possunt, unde δώρων crimini in argumentis ἀπογραφῆς locus idoneus tribuatur.

Iam vero in eis verbis quibus causam definiri supra dixi, prorsus singularis existit ζητητῶν mentio. Hos quidem inquisitores ex eo loco solo docemur tum fuisse delegatos qui proscriberent, si quid pecuniae publicae apud privatum hominem deprehendissent. Etsi ex ista mentione non sequitur hanc causam ipsam quoque ab

1) sim. 27, 3. 4. 10. cf. 25, 19. 26, 23. Aristoph. nub. v. 591. Plut. Pericl. c. 32.

2) 18, 18. 25, 16. 25 sq. 30. 27, 9 sq. 28, 1. 13. 30, 26 al. cf. Frohberger ad 12, 93.

3) § 15 ἄξιον δέ ἐστιν — πένητα γενόμενον ἐλεῆσαι μᾶλλον ἢ πλουτοῦντι φθονῆσαι.

inquisitoribus publicis delatam fuisse: privatos potius homines spectant quae accusatoribus exprobrantur § 20 sq.

Atqui illi magistratui eadem plane provincia tribuitur quam συλλογέας habuisse vidimus. Ac fieri potest, ut eidem intellegendi sint συλλογῆς atque ζητηταί: quod quidem nomen latius patens varia genera quaesitorum ad publica crimina omnis generis persequenda extra ordinem electorum complectitur[1]. Verum tamen haud scio an probabilius haec ita concilientur, ut dicamus post instauratum imperium populare primum — quod solebat fieri in turbata rerum condicione — inquisitores fiscales (ζητητάς) ad quaestiones pecuniae publicae habendas sive semel sive identidem institutos esse, post aliquot annos demum eorum in locum ex lege substituta collegia syndicorum et συλλογέων quotannis, quamdiu opus videretur, eligenda.

§ 4.

Iam redeundum videtur eo unde deflexit disputatio. In causa bonorum Eucratis, quae proximis annis ante bellum Corinthium acta est, difficultates quas repperimus omnes confidenter adfirmo ita solvi, ut Poliochum accusatorem non privatum, verum magistratum, συλλογέα dico, agnoscamus. Ita enim et ἐζημίωσε recte habet de eo qui publica auctoritate munitus atque rerum intellegens patrocinio suo et apud syndicos et apud iudices effecerat, ut in priore actione delator causa caderet; et simul ex-

1) Harpocratio (unde brevius Photius et Crameri A. O. II p. 495) ζητητής· ἀρχή τις Ἀθήνησιν κατὰ καιροὺς καθισταμένη εἴποτε τοὺς ἀδικοῦντάς τι δημοσίᾳ δέοι ζητεῖν. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους (11. 160 sq. = in Androt. 42 sq.) καὶ Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ ἐνδείξεως (1, 14. 36. 40. 65). οὗτος δὲ ὁ ῥήτωρ καὶ ζητητής ποτε ἐγένετο, ὥς φησι Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης καὶ Πλάτων ὁ κωμικὸς Πρέσβεσιν. Pollux VIII 115 ζητηταί· ὄνομα δημοσίας διακονίας οἳ τὰ λανθάνοντα ἐζήτουν. Photius et Lex. rhet. p. 261 B. v. ζητηταί. cf. Hudtwalcker *Diäteten* p. 58.

plicatur, quo modo eidem homini postea, cum munere iterum fungeretur, eadem illa bona quae tum defenderat proscribere singulari sane inconstantia licuerit — id quod de privato homine ne cogitari quidem potest —: ut non sine causa idem contrariarum sententiarum auctor dicatur. Atque ipsis verbis illis ἡγούμενος αὐτῷ καλὴν εἶναι τὴν ἐπίδειξιν καὶ πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τοὺς ξένους, ὅτι Ἀθήνησι τοσοῦτον δύναται, ὥσθ' ὑμᾶς — ποιεῖν φηφίζεσθαι, quis non videt magistratus praepotentiam et ambitionem describi? Quem ad modum de praetoribus Alcibiadi minori in iudicio λιποταξίου patrocinantibus legimus (14, 21): ἐὰν δέ τινες τῶν ἀρχόντων βοηθῶσιν αὐτῷ, ἐπίδειξιν μὲν τῆς ἑαυτῶν δυνάμεως ποιούμενοι, φιλοτιμούμενοι δὲ ὅτι καὶ τοὺς φανερῶς ἡμαρτηκότας σῴζειν δύνανται κτλ. (cf. or. 15 in.)

Disertius etiam Poliochum magistratum perstringunt quae sequuntur (§ 16) ἄξιον δὲ μάλιστα φθονῆσαι (θαυμάσαι Markland), ὅτι οὕτως ἤδη οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες διάκεινται, ὥστ' οὐχ ὅτι ἂν τῇ πόλει βέλτιστον ᾖ τοῦτο λέγουσιν, ἀλλ' ἀφ' ὧν ἂν αὐτοὶ κερδαίνειν μέλλωσι. Ita enim haec scribenda duco resectis et vv. οἱ ῥήτορες frigida repetitione interpolatis ante λέγουσιν et membro in fine inscite adiecto ταῦτα ὑμεῖς ψηφίζεσθε, quod ne copula quidem καί s. δέ inserta cum prioribus apte conciliatur. Neque vero rationi convenienter Scheibius ut haec servaret, verba sanissima οὕτως ἤδη οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες διάκεινται temptare maluit corrigendo οὕτως ἤδη τὰ τῆς πόλεως διάκειται[1]). Namque οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες et propria Lysiae notio est de viris publica dignitate

1) Vind. Lys. p. 93, ubi recte refutatur Hamakerus, qui enuntiata τοῦτο οἱ ῥήτορες λέγουσιν et ταῦτα ὑμεῖς ψηφίζεσθε locum inter se mutare iusserat. Ceterum sententiam simillimam habes Isocr. 12, 12: καίτοι πάντες ἴσασι τῶν μὲν ῥητόρων τοὺς πολλοὺς οὐχ ὑπὲρ τῶν τῇ πόλει συμφερόντων, ἀλλ' ὑπὲρ ὧν αὐτοὶ λήψεσθαι προσδοκῶσι δημηγορεῖν τολμῶντας.

praeditis (cf. 25, 11. 27, 7. 30, 31) et in Poliochum delatorem publicum apprime convenit. Ad idem autem genus delatorum fiscalium publice institutum spectant haec (§ 20) καὶ εἰ μὲν ἑωρᾶτε, ὦ ἄνδρες δικασταί, σῳζόμενα τῇ πόλει τὰ ὑπὸ τούτων δημευόμενα, συγγνώμην ἂν εἴχομεν· νῦν δ' ἐπίστασθε, ὅτι τὰ μὲν αὐτῶν ὑπὸ τούτων ἀφανίζεται, τὰ δὲ πολλοῦ ἄξια ὀλίγου πιπράσκεται· ἂν δ' ἐμοὶ (δέ μοι cod.) πείθησθε, οὐκ ἐλάττω ἀπ' αὐτῶν ὑμεῖς ὠφεληθήσεσθε ἢ ἡμεῖς οἱ κεκτημένοι. Ubi illud ἀφανίζεται sine dubio de fraude inquisitoris accipiendum est. Simili modo in causa simillima de qua supra disserui actor orationis XXI argumentatur (§ 13 sq.) ὁρᾶτε γάρ, ὦ ἄ. δ., τὰ προσιόντα τῇ πόλει ὡς ὀλίγα ἐστί, καὶ ταῦτα ὡς ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων ἁρπάζεται. — οἶμαι δὲ πάντας ὑμᾶς ἐπίστασθαι, ὅτι τῶν ἐμῶν ἐγὼ πολὺ βελτίων ὑμῖν ἔσομαι ταμίας τῶν τὰ τῆς πόλεως ὑμῖν ταμιευόντων· ἐὰν δ' ἐμὲ (δέ με cod.) πένητα ποιήσητε, καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς ἀδικήσετε· ἕτεροι δὲ καὶ ταῦτα διανεμοῦνται ὥσπερ καὶ τἆλλα. Omnino ista criminatio peculatus quam frequenter usu venerit de magistratibus quibus aliqua aerarii cura mandatur, Lysiae orationes passim testantur: ex quibus septima et vigesima contra Epicratem habita fere tota est in eiusmodi criminibus exagitandis.

Exploratum est igitur, opinor, causam in qua versamur agi de bonis Eucratis per Poliochum συλλογέα aerario vindicatis. Ut orationi neque titulus inscite fictus περὶ τῆς δημεύσεως τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ ἐπίλογος neque quo Galenus utitur XVIII 2 p. 657 K. κατὰ Πολιούχου (debebat saltem πρὸς Πολίοχον) recte conveniat: aptius quidem ad exemplum eius quae sequitur de bonis Aristophanis inscripseris περὶ τῶν Εὐκράτους χρημάτων πρὸς τὸ δημόσιον.

§ 5.

Quod modo pluribus exemplis edocti sumus, quam nulla esset fides titulis orationum Lysiacarum in codice traditis, idem prae ceteris perspicuum redditur inscriptione orationis XXVII quam supra memoravimus: κατὰ Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν ἐπίλογος ὡς Θεόδωρος. Excerptum hoc videtur ex scholio antiquiore pariter atque quod orationi quartae praemittitur περὶ τραύματος ἐκ προνοίας περὶ οὗ καὶ πρὸς ὅν (ἄδηλον).

Nimirum cum Epicrates reus aperte munere publico gesto postuletur et praeter ipsum etiam collegae quidam ut conscii notentur, Theodorus nescio quis interpres hoc idem esse iudicium sibi persuasit quo Epicratem quondam hominem popularem ob male gestam legationem una cum collegis morte multatum esse Demosthenes narrat (19, 277); indeque factum est, ut verba ab illo addita καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν in ipsum orationis exordium irreperent (§ 1). Atque eundem Epicratem et a Lysia et a Demosthene significari, id quidem ille haud inepte suspicatus est. Neque enim quod a Demosthene praedicatur ἀνήρ, ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω, σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον, καὶ ἄλλως δημοτικός, contra accusator fraudatorem et quadruplatorem perditissimum depingit, scrupulum nisi fori Attici ignaro movere cuiquam poterit: cum opes et auctoritatem hominis in republica administranda versati accusatio ipsa quoque diserte confirmet [1]. Attamen legatio illa a causa Lysiaca prorsus aliena est. Certe ad longe diversum genus officii publici pertinent haec (§ 3): καίτοι τίνα χρὴ ἐλπίδα ἔχειν σωτηρίας, ὁπόταν

1) § 5. 6 τῇ αὑτῶν δυνάμει ἐσώθησαν. 10. καίτοι οὐ ταῦτα ἀγαθῶν δημαγωγῶν ἐστι κτλ.

ἐν χρήμασιν ᾖ καὶ σωθῆναι τὴν πόλιν (τῇ πόλει cod.) καὶ μή, ταῦτα δὲ οὗτοι, φύλακες ὑφ᾽ ὑμῶν καταστάντες, οἱ τῶν ἀδικούντων κολασταί, κλέπτωσί τε καὶ καταδωροδοκῶσι; Accusationis autem qua Epicratem in ratione muneris gesti reddenda postulari probabile est argumentum omne eo redit, quod ille ad crimina nescio quae persequenda publice constitutus et innocentibus vexatis et noxiis dimissis quaestui rem publicam habuerit[1]. Id fuit qui ad ποριστήν referret[2]. Verum etsi de poristis non magis nobis quam ipsis veterum grammaticis certius quidquam exploratum est, tamen sicubi memorantur, redituum publicorum quaestores extraordinarii intellegendi sunt[3]: qui quo iure noxiorum vindices et investigatores publici existere possint, frustra anquiras.

Ne multa, delatores fiscales (συλλογεῖς) Epicratem quoque eiusque collegas fuisse atque ob fraudes in eo munere commissas identidem postulari equidem persuasum habeo. Idque cum ipsum argumentum eaque quae supra novimus exempla probabile

1) § 1—4 ubi in verbis corruptis § 2 πεπείρανται (f. ἐπίστανται) γὰρ ὅτι, ὁπόταν οὗτοι καὶ οἱ τούτων λόγοι δοκῶσιν αἴτιοι εἶναι ψηφιεῖσθαι ὑμᾶς παρὰ τὸ δίκαιον, ῥᾳδίως παρὰ τῶν ἀδικούντων χρήματα λαμβάνουσι, certe παρὰ τῶν ἀδικουμένων corrigendum. Scheibius autem (vind. Lys. p. 98) cum actionem κλοπῆς δημοσίων χρημάτων solam agnoscit, δώρων crimen ad prius iudicium (§ 3) remittit, et verbis ipsis vim facit et accusationis ἐν εὐθύναις rationem parum tenet.

2) Falk in vers. german. Lysiae p. 306. cf. Blass *Att. Bereds.* p. 446 n. 2. De logistis et euthynis temere cogitavit Hamaker (cf. Scheibe l. c.).

3) Diserta mentio eorum bis tantum intra decem annorum spatium inicitur. Antipho 6, 49 οἵτινες καὶ νῦν τριάκοντα μνᾶς ἐπ᾽ ἐμοὶ λαβόντες παρὰ τῶν ποριστῶν καὶ τῶν πωλητῶν καὶ τῶν πρακτόρων καὶ τῶν ὑπογραμματέων κ. τ. λ. Aristoph. ran. 1505 una cum legum ἀναγραφεῦσι carpuntur, ubi schol. Rav. interpretatur τοῖς πορισταῖς] τοῖς φορολόγοις, Schol. Ven. τούτους λέγει τοὺς περὶ πόρου χρημάτων εἰσηγουμένους. Similiter Lex. rhet. p. 294 B. πορισταί εἰσιν ἀρχή τις Ἀθήνησιν, ἥτις πόρους ἐζήτει. ἀπὸ τούτου γὰρ καὶ προσηγορεύθησαν. Nam ex Demosthenis loco 4, 33 τῶν μὲν χρημάτων αὐτοὶ ταμίαι καὶ πορισταὶ γενόμενοι licet idoneo ad notionem illustrandam nihil effici de certo illius aetatis magistratu Boeckhius intellexit *Staatsh.* I, 225 (non tenuit Rehdantz praef. in Dem. or. Phil. § 51).

reddunt, tum confirmant verba haec (§ 11): νῦν δ' οὕτως ἡ πόλις διάκειται, ὥστε οὐκέτι ὧν οὗτοι κλέπτουσιν ὀργίζεσθε, ἀλλ' ὧν αὐτοὶ λαμβάνετε χάριν ἴστε, ὥσπερ ὑμεῖς τὰ τούτων μισθοφοροῦντες, ἀλλ' οὐ τούτων τὰ ὑμέτερα κλεπτόντων· conlatis illis § 1 ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρὴ ὅτι πολλάκις ἠκούσατε τούτων λεγόντων, ὁπότε βούλοιντό τινα ἀδίκως ἀπολέσαι, ὅτι, εἰ μὴ καταψηφιεῖσθε ὧν αὐτοὶ κελεύουσιν, ἐπιλείψει ὑμᾶς ἡ μισθοφορά.

Quam late quidem pateat in Lysiae orationibus memoria proscriptionum, pessimi exempli licentiae et iracundiae popularis, iam summa facta totius disputationis nostrae facile perspicies. Neque enim casui tribuendum, quod ex triginta plus minusve orationibus quae tempus tulerunt sexta pars in causis aerarii habita est, sive ad propulsandas bonorum publicationes (21. 18. 19. item 17)[1]) sive ad reum proscribendum (29), praeterea una ipsi quaesitores bonorum publicandorum praevaricationis incusantur (27). Ex deperditis quoque sunt quarum simile argumentum fuerit: orationes in Aeschinem de bonis Aristophanis, adversus Alcibiadem, item adversus Asopodorum de domo publicanda, quibus addenda accusatio Apollodori; denique certo modo huc faciunt et quae adversus Euthiam pro bonis proscriptis venditis (ὑπὲρ δημιοπράτων) et quae pro filiabus Phrynichi et Onomaclis scriptae ab illo feruntur[2]). Omnino tristia illa vestigia rerum omnium radi-

1) Nona oratio quae est pro Polyaeno milite defensio ἀπογραφῆς nec a quonam sit nec quo tempore scripta — nam a Lysia recte abiudicatur — satis constat.

2) In Sauppii fragmentorum collectione or. II. V. XXIII. XII. XLVIII. CIV. CXXV. cf. Harpocratio v. παρακαταβολὴ καὶ παρακαταβάλλειν. οἱ ἀμφισβητοῦντες χρημάτων τινῶν δεδημευμένων πρὸς τὴν πόλιν, καὶ οἱ περὶ κλήρων ἢ ἐπικλήρων — περὶ μὲν οὖν τῶν δημοσίων πολλαχοῦ εἴρηται τῷ Λυσίᾳ κτλ.

citus labefactarum quam diu impressa moribus manserint, quam sero res publica ex turbis motibusque intestinis sese recreare coeperit, et documenta et ipsa exempla gravissima Lysiae orationes extant: quo oratore nemo unquam ex antiquis imaginem morum animorumque sui temporis aut accuratiorem aut efficaciorem in forensibus actionibus expressit.

Berolini apud Weidmannos (*J. Reimer*).

Typis Breitkopfii et Haertelii Lipsiensis.